


SILENI ALCIBIADIS, PER DES.
ERASMVM ROTERODAMVM.

Cum scholijs Ioannis Frobenij, pro græcarum vo-
cum & quorundam locorum apertiori intelli-
gentia ad calcem adiectis.



PARISIIS

EX OFFICINA ROBERTI STEPHANI ERE-
GIONE SCHOLÆ DECRETORVM.
M.D.XXVII.



SILENI ALCIBIADIS, AVTORE DES.
ERASMO ROTERODAMO.

ΙΛΗνοὶ ἀλκιβιάδοι, id est, Sileni Alcibiadis, apud eruditos in prouerbiū ab ijsse vidētur. certe in Collectaneis Græcorum prouerbijs vice referūtur, quo licebit vti, vel de re quæ cum in speciem, & prima, quod aiunt fronte, vilis ac ridicula videatur, tamen interius, ac proprius contemplanti, sit admirabilis: vel de homine, qui habitu, vultūq; longe minus præ se ferat, quām in animo claudat. Aiunt enim Silenos imagunculas quaspiam fuisse sectiles, & ita factas, vt diduci & explicari possent, quæ clausæ ridiculam ac monstrosam tibicinis speciem habebāt, aperte subito numen ostendebant, vt artem scalptoris gratiorem iocosus faceret error. Porrò statuarum argumentum sumptum est, à ridiculo illo Sileno Bacchi pædagogo, numinūmque poeticorum morione. Quandoquidem habent & illi, principum nostratiū exempla suos γελωτοποιούς. Proinde Alcibiades apud Platonem in conuiuio, Socratis Encomium di-
eturus, eum Silenis huiusmodi similem facit, quod is multo alius esset proprius intuenti, quām summo ha-
bitu videretur. Quem si de summa, quod dici solet, cute quis æstimasset, non emisset asse. Facies erat rusti-
cana, taurinus aspectus, nares simæ, muccōque ple-
næ, Cultus neglectus, sermo simplex, ac plebeius, &
humilis, vt qui semper aurigas, cerdones, fullones &
fabros haberet in ore. Nam hinc sumebat illas suas
Ἵσαγωγάς. Fortuna tenuis, vxor qualē ne vilissimus
quidem Carbonarius ferre posset. Videbatur mirari
formas adolescentiolorum, videbatur amare, & zelo-

Socrates.

SILENI ALCIBIADIS.

typia tangi, cū eū ab his affectibus, οὐδὲ τὸν πότερον
abesse cōpererit etiā Alcibiades. Denique iocus ille
perpetuus, nonnullā habebat Morionis speciem. Cū
ea tempestate, ad insaniam vsque ferueret inter stu-
tos, profitendi sapientiam ambitio, nec vnum esset
Gorgias, qui se nihil nescire iactitaret, & Ardelioni-
bus huiusmodi nusquam non referta essent omnia,
solus hic hoc vnum scire se dictitabat, quod nihil sci-
ret. Videbatur ineptus ad omnia Reipub. munia,
adeò, vt quodam die nescio quid apud populum ad-
orsus agere, cum risu sit explosus. Atqui si Silenus
hunc tam ridiculum explicuisse, videlicet numē in-
uenisses potius, quam hominem, animum ingentem,
sublimem, ac verè philosophicum, omnium rerū pro-
quibus cæteri mortales currunt, nauigant, sudant, li-
tigant, belligerantur, contemptorem, iniurijs omnia-
bus superiorem, & in quem nullum omnino ius ha-
beret fortuna, & vsque adeò nihil timentem, vt mor-
tem quoq; nulli non formidatam contempserit, in-
stantum vt Cicutam eodem ebiberit vultu, quo vīnū
solet, utq; iam moriēs etiam in Phædonem suum io-
carctur, admonens, vt voto se liberans Aesculapiogal-
lum persolueret, perinde quasi sumpto pharmaco,
iam sanitatis beneficiū sentiret, cum exiret è corpore,
vnde omnes animi morbi scatēt ac pullulāt. Proinde
non iniuria cum id tempestatis, plena sophis essent
omnia, solus hic morio, sapiēs oraculo pronunciatus
est, & plus iudicatus est scire, qui nihil sciebat, quam
ij qui nihil nescire se prædicabant, imo ob id ipsum
iudicat⁹ est plus cæteris scire, quod vnum omniū nihil
sciret. Huiusmodi Silenus fuit Antisthenes, baculo
suo, pera, pallioque, maximorū regum fortunas ante-
cellēs. Huiusmodi Silenus fuit Diogenes, vulgo capis
habitus. Verū in hoc cane diuinū quiddā animad-

Antisthe-
nes.

uerterat Alexāder magn⁹, principū vt videbatur omniū κορυφαῖος, & alpha, cū animi magnitudinē admissus, optaturū se diceret, vt nī Alexander esset, Diogenes esset, Cum hoc magis optare debuerit, Diogenes animum, quòd Alexander esset. Huiusmodi Silenus fuit Epictetus, seruus, pauper, claudus, vt indicat illius epitaphium, sed idem quod est felicissimum, charus superis, id quod sola vitæ præstat integritas, cum sapientia coniuncta. Hæc nimirum est natura rerum verè honestarum, quod habent eximum, id in intimis recondunt, abdūntq;. quod contemptissimum, id prima specie præ se gerunt, ac thesaurū seu vili cortice dissimulant, nec prophanis ostendunt oculis. At vulgarium & vmbriticarum longe diuersa ratio, summa specie blandiūtur, quódq; pulcherrimum habent, statim obuijs ostentant: sin penitus introspi cias, nihil minus sunt, quām quod titulo, speciēq; præ se ferebant. An non mirificus quidam Silenus fuit

CHRISTVS: si fas est de hoc ad eum loqui modū. Christus. quem equidem haud video cur non omnes pro virili debeant exprimere, qui Christiani nomine gloriātur. Si summam Sileni faciem intuearis, quid iuxta popularem aestimationem abeſtius, aut contēpti⁹? Tenues & obscuri parentes, domus humilis: ipſe pauper, & pauculos & pauperculos habuit discipulos, nō ē magnatū palatijs, nō ē phariseorū cathedris, nō ē philosophorū scholis, sed à telonio & retib⁹ ascitos. Tū vita, q; à voluptatib⁹ omnibus aliena, per famē, per lassitudinē, per cōuitia, per ludibria, ad crucē deniq; peruenit. Hac illū parte contēplabatur, mysticus ille vates, cū eū depingēs: Nō erat, inquit, ei species, necq; decor. Vidi mus eū, & nō erat aspectus, & desyderauim⁹ eū despectum, ac nouissimum virorū. Cæteraq; permulta
a.iii.

SILENI ALCIBIADIS.

quæ in hāc sequuntur sententiā. Iam si cōtingat aper-
tū hūc Silenū propius intueri, hoc est, si cui dignetur
ipse se purgatis animi luminibus ostendere, deū im-
mortalem, quām ineffabilē reperies thesaurū: in quā-
ta vilitate, quale margaritum: in quanta humilitate,
quantam sublimitatem: in quanta paupertate, quan-
tas diuitias: in quanta infirmitate, quām incogitabilē
virtutem: in quanta ignominia, quantam gloriam: in
quantis laboribus, quām absolutam requiem. deniq;
in morte tam acerba, perennē immortalitatis fontē.
Cur sic abhorret ab hac imagine, qui titulo tamē illi⁹
se iactitant? Nimirum erat in proclui CHRISTO
totius orbis occupare Monarchiam, atq; id possidere,
quod olim Romani principes frustra affectarunt, fa-
tellitio superare Xerxes, opibus anteire Croesos, philo-
sophis vniuersis silentium imponere, & inane sophos
detrahere. Verūm hāc vna forma placuit, quam suis
discipulis & amīcis, hoc est Christianis proponeret.
hanc potissimū delegit philosophiam, à philosopho-
rum decretis, à mūdi ratione longe, latēq; diuersam.
Sed eam quæ sola omniū præstaret, quod alij alijs vijs
conantur assequi, nēpe felicitatē. Huiusmodi quon-
dam Sileni fuere Prophetæ, exules, errantes in solitu-
dinibus, cum feris exigētes vitā, vili holusculo victi-
tantes, ouium & caprarū amicti pellibus. Sed intro-
spexerat hos Silenos, ille qui dixit, Quibus dignus nō
erat mundus. Huiusmodi Silenus fuit Ioannes ba-
ptista, qui camelorum tectus pilis, zona cinctus pelli-
cea, longe regū purpuras, ac gemmas vicit, locutis ve-
scens, principum omniū delicias superauit. nimirum
cernebat quid thesauri lateret sub agresti pallio, qui
miro illo elogio laudū eius summā cōplexus: Inter na-
tos inquit, mulierū, nō surrexit maior Ioāne baptista.

Prophetæ.

Ioannes
baptista.

Huiusmodi Sileni fuerunt apostoli, pauperes, inculti, illiterati, ignobiles, impotentes, abiecti, omnibus omnium cōtumelijs expositi, irrisi, inuisi, execrables, ac pene publicū orbis simul & odiū & ludibriū. Verū aperte Silenū, quis tyrānorū cū horū potentia possit aequaliter, qui dīcto imperant dæmonib⁹, nutu sedant sœnitia maria, verbo, vita defunctos in vitā reuocat⁹? Quis nō Croesus ad hos pauper esse videatur, qui vel vmbra sui cōferunt sanitatē ægrotis, qui solo manus contactu, spiritū illum cœlestem impertunt⁹? Quis non Aristoteles stultus & indoctus, ac nugator, cum his collatus, habeatur, qui ex ipso fonte cœlestem haurient sapientiam, ad quam omnis humana sapientia, mera stultitia est? Tum verè regnum coelorum, granis finapis imaginē habebat, specie pusillū & contēptū, virtute maximū. A quo prorsus, vt dixi, & in Διομέτρον, quod aiūt, dissidet, huius mūdi ratio. Huiusmodi Silenus fuit cōtéptus & irrisus ille Martinus. Tales fuerūt, veteres illi episcopi, humilitate sublimes, paupertate locupletes, gloria neglecta gloriōsi. Latitāt & hodie boni quidā Sileni, sed heu nimiū pauci. Bona pars hominū, præposterum Silenū exprimūt. Si quis rerum vim, ac naturā penitus introspiciat, reperiet nullos à vera sapientia longius abesse, quām istos qui magnificis titulis, qui sapiētibus pileis, qui splendididis cingulis, qui gēmatis anulis, absolutam profitētur sapientiā. Adeo, vt nō rarò plus veræ germanæq; sapientiæ deprehēdas in uno quopiā homūcione iuxta vulgi opinionē, idiota simplici, ac semifatuo, cuius mentē nō subtilis vt vocat⁹, Scot⁹, sed coelestis ille C H R I S T I docuit sp̄ritus, q; in multis Theologorū tragicis personis, ac magistris nostris, Aristotele suo turgidis, ma:

Diuus
Martinus.

Præposteri
Sileni.

a.iiiij.

gistralium definitionū, conclusionū & propositionū turba, differtis. Item videas in nullis minus esse veræ nobilitatis, quām in Thrasonib⁹ istis, qui vetustis stem matibus, qui torquibus aureis, qui splendidis cognos minibus summā iactitant nobilitatē, nec alios à vera fortitudine longius abesse, quām eos qui ob temeritatē, ac præferoces animos vulgo fortissimi iudicantur & inuicti. Nulos abiectius ac seruilius seruos, quām hos, qui se Dijs, vt aiūt, proximos, & omniū dominos putant. Nulos æque calamitosos, atq; eos, qui videntur felicissimi, Nulos pauperius esse pauperes his quos hominum vulgus vt diuites adorat, Nulos esse minus episcopos, quām qui inter episcopos primas tenēt. Atq; vtinā illud quoq; falsum esset, sæpenumerō lōgissime fēmotos esse à vera religione, qui titulo, qui cultu, qui cerimonijs, religionē absolutā profitent. Adeò quicquid in omni rerū genere præclarū est, id

In omni re sum gene- minus in cōspicuo est. In arboribus, flores & folia blā diuntur oculis, ipsa se latè moles ostentat. At semē, in quo vis est omniū, quām est res minutula, quām abdita, quām nō lenocinās aspectui, quām nō ostēatrix sui! Aurū & gēmas in altissimas terræ latebras abdidit natura. In elementis quæ vocant, quo quicq; præstantius est, hoc longius à sensibus est remotum, velut aer & ignis. In animantiū genere, quod est optimū & efficacissimum, id in intimis abditum habent. In homine, quod est maxime diuinum & immortale, id solum cerni non potest. In quouis rerum genere, materia pars vīlīor, maxime patet sensibus. Formæ vis & beneficiū, vtilitate sentitur, & tamē ipsa procul abest à sensib⁹. Rursum in corporis physici téperatura, cū phlegma & sanguis sensibus sit familiaris & pateat, id quod plurimū cōfert ad vitam, minime patet, nēpe sp̄ritus. Demum in vniuerso, quæ maxime sunt,

ea non videntur, veluti substantiæ, quas separatas vo-
 cant. Et quod in his summum est, id à sensibus quām
 maxime sepositum est, nempe deus, adeò, vt nec intel-
 ligi, nec cogitari possit, cū hīc fons sit vnicus omniū.
 Quin & in ecclesiæ sacramētis reperire liceat nōnul-
 lam Silenorum imaginem. Aquam vides, salem & o-
 leum vides, vocem audis, ceu summam Sileni faciem:
 vim coelestem, nec audis nec vides, quæ si non adsit,
 mera ludibria sint cætera. Iam habēt & suos Silenos
 arcanæ literæ. Si consistas in superficie, ridicula non-
 nunquam res sit: Si penetres vñque ad anagogēn, di-
 uinam adoras sapientiam. Etenim vt de veteri loqua-
 mur instrumēto, Si præter historiam nihil spectes, &
 audias Adam è limo conditum, vxorculam è dormi-
 entis latere furtim subtractam, serpentē illecebra po-
 mi solicitātem mulierculam, deum ad auram inam-
 bulantem, rhomphæam foribus præsidentē, ne post-
 liminio redirent exules, nōnne putas ex Homerī offi-
 cina profectam fabulam? Si legas Lot incestum, Da-
 uid adulterium, & in senis frigidi gremio cubantem
 puellam, Osee fornicariū matrimonium, nōnne qui
 verecūdioribus sit auribus, vt obscoenam fabulam a-
 uersetur? At sub his inuolucris, deum immortalem,
 quām splendida latet sapientia! Euangelicas parabo-
 las, si primum æstimes corticem, quis non iudicet ho-
 minis esse idiotæ? Si nūcem frangas, nimirum repe-
 ries arcanam illam, ac verè diuinam sapientiam, pla-
 néque quiddam ipsi c H R I S T O simillimum. Et ne
 singula persequēs fiām prolixior, In naturæ, simul ac
 mysticis rebus, vt quicq; præstantissimū est, ita quām
 maxime videbis abstrusum, & à prophanis oculis lō-
 gissime semotum. Itidem in cognitione, germana re-
 rum veritas, semper altissime latet, quæ nec facile, nec

SILENI ALCIBIADIS.

à multis deprehēditur. Crassum vulgus, quoniā præ postere iudicat, nimirum ex his, quæ maxime sensib⁹ corporis obuia sunt æstimās omnia, passim labitur & errat, ac falsis bonorum & malorum simulacris deluditur, inuers⁹ osque Silenos miratur, ac suspicit. De maliis loquar, bonos non laedā, imò ne malos quidē. quandoquidē generalis de vitijs disputatio, ad nullius personæ pertinet iniuriam. Atque utinam pauciores es sent, in quos hæc competere possint. Nonne cum sceptrum vides, cū insignia, cum satellitium, cum titulos audis, principem adoras, terrenum quoddam numē, & quiddam homine maius, intueri te putas? Sed aperte Silenum preposterum, tyrannum inuenies, cuium hostem, latronem, sacrilegum, incestum, aleatorē, bresuiter, ut est in Græcorum proverbijs ἡλιάδες κακῶρ. Sunt, qui titulo, specieque præ se ferant magistratum, & reipublicæ custodem, cū re lupi sint & prædones ciuitatis. Sunt, quorum si cōsyderes rasum verticē, veneris ut sacerdotes. si Silenū introspicias, plus quā laicos reperies. Fortassis & episcopos aliquot reperias, quorum solennem illam consecrationem si spectes, si nouum ornatum inspicias, mitram gemmis & austro nitentem, pedum item gemmeum, in summa, totum illū ἐκ ποδὸς ἐς κεφαλὴν, mysticā τωνοπλίαν videlicet, coelestem quempiam, & homine maiorem virum expectes. Inuerte Silenum, nihil inuenies, nisi bellatorem, negotiatorem, denique tyrannum, Iāmç magnifica illa insignia, comoediā fuisse iudicabis. Sunt, atque utinam non tam passim obuij sint, quos si quis ē barbæ sylua, pallore, cucullo, cingulo, supercilio, vultūisque truculentia velit æstimare, Serapiones, ac Paulos esse ducat. Sin explices, meros inuenies balrones, planēç, quod aiūt, οὐθὲακας τὸρ θησαυρός.

Rursum admoneo, neminē his offendī oportere , cū nullius designetur nomen. Si quis huiusmodi nō est, nihil ad se pertinere cogitet. Sin agnoscit suum malum, admonitum se putet. Ille sibi gratuletur, hic mihi gratias agat. Denique passim in omni mortalium genere sunt, quorum si formā contemplere corporis, homines, & praeclaros homines, dicas. Si Silenus explicueris, intus suem, aut leonem, aut vrsum, aut asinum, fortassis inuenies. Ac diuersum quiddā eueniet ēi, quod de Circes beneficijs poetarū fabulis est proditum . Apud hanc enim ferarum figuram habebant, mentem hominis. Isti sub humana specie plus quam beluam tegunt . Contrā sunt, quos de specie, sicut dictum est, vix homines iudices, cum in animi penetralibus angelum occultent. In hoc igitur discrimen est mundani & Christiani, quod ille craffissima quæque, ac statim oculis obuiā, maxime suspicit & se etatur: quæ secus habet, aut omnino negligit, aut certe postremo loco ponit: Hic ē diuerso, quæ minime cernuntur oculis, quæque longissime recesserūt à natura corporum, ea sola sectatur, cæteris aut præteritis, aut contemptius adhibitis, ab intimis illis omnē rerum iudicium dicens. In bonis, sic enim vocat Ariosteles, quæ non pertinent propriè ad hominē, extre mæ sunt opes. At apud vulgus, imò penè apud omnes is plurimi fit, qui has quacunque via possidet. has per saxa, per ignes expetunt vniuersi. Proximum habet locum, generis claritas, si nihil accedat aliud, tū diculum prorsus & inane nomē. Semideus habetur, qui sanguinis seriem ad Codrum Atheniensem, aut ad Brutum Troianum, qui haud scio, an vñquam natus fuerit, aut ad fabulosum Herculē referre possit: & obscurus est, qui sibi literis & virtute famā parauit?

SILENÍ ALCIBIA DIS.

Illustris est, cuius tritauus in bello strenuum præstis.
tit homicidā, & plebeius est, & imaginibus caret qui
bonis animi profuit orbi! In tertia classe sunt, corpo-
ris commoda, id cui contigerit, ingens, robustum, for-
mosum, præualidum, eum non semouent quidem ē
numero feliciū, sed ita vt nihilo secius, primas teneat
diuitiæ, proximas nobilitas, animi postrema cura est.
Iam hunc ipsum, si iuxta Paulum, in treis parteis di-
uidas, carnem, animam, & spiritum (vtar enim illius
verbis) infimam, quæ maxime in cōspicuo est, quām
que prorsus damnat Apostolus, vulgus potissimum
amplectitur. Mediā quā ita demū probat, si ad spiri-
tum acceſſerit, plures approbat. Porrò spiritum, opti-
mam nostri partem, à quo ceu fonte, felicitas omnis
nostra proficiscitur, quōque deo copulamur, adeò nō
habēt in precio, vt nec illud inquirant, sit' ne, aut quid
sit spiritus, de quo tamen Paulus toties inculcat. At
que hinc præposterū de rebus multitudinis iudiciū,
vt quibus prim⁹ debebatur honos, horū ῥσπερτῷ
μεγάλωψ ὄνδρες λόγος, sit: & quę ſūmo studio fuerat
expetenda, hæc in contemptissimis ducant. Hinc au-
rum anteponitur literis, generis antiquitas honesto,
corporis dotes, animi bonis, ceremonijs posthabetur
vera pietas, C H R I S T I precepta, decretis hominum,
persona veritati, vmbra reb⁹, fucata natuuis, fluxa foli-
dis, momentanea æternis. Deinde ex præpostoris opi-
nionibus, præposta rerum vocabula. Quod excel-
sum est, humile vocant: quod amarum, dulce: quod
preciosum, vile: quod vita, mortem: utq; nominatim
obiter pauca delibem, Amare dicuntur, qui vel indul-
gentia corrupunt, vel pudicitiæ simul, ac famæ insi-
diantur, cū hac requid esse possit hostilius! Iustitiā ap-
pellant, cū malū malo, scelus scelere vincitur, cū iniu-

riā accepta, multo cū fœnore reponitur. Paucū æquus matrimonio dicitur, qui illud incontaminatū & quā potest, virginitati simillimū, ganeis dissimillimum esse postulet. Proditorem appellant, & principis hostē, qui nihil illi supra leges, ac præter æquum licere velit, hoc est, qui illum optet verè principem agere, & à tyranni, qua belua non est alia tetricor, imagine, quam maxime velit abesse. Ille contrā consultor, amicus, fautor principum dicitur, qui illos peruersa educatio, ne corrumpat, qui stultis inficiat opinionibus, qui assentatione ludat, qui malis cōsilijs, in odium populi pertrahat, qui bellis, & insanis rerū tumultibus inuol uat. Aiunt auētam principis maiestatem, vbi tyrannidis aliquid accessit, hoc est, summi malī magna por tio. Peculator est, qui de extortis vectigalib⁹ velit nō nihil circūcidi. At cum principis præcipua bona sint tria, quibus deū, qui verè solus est rex, quodā modo re presentat, bonitas, sapientia, potētia, nū is principi vis detur amicus esse, qui duobus præcipuis bonis illum spoliet, bonitate & sapientia, solāmque potentiam illi reliquat, & hanc non modo falsam, verum ne priam quidem! Siquidem potētia nisi sit cum sapientia, bonitatēque cōiuncta, tyrannis est, non potentia, quam ipsam tamen populi consensus quemadmodū dedit, ita potest eripere. Cum interim depulsum ab imperio, bonitas & sapientia, ceu propriabona comtentur. Capitale est, violare principis insignia, & præmium est his, qui animum illius vitiantes, pro bono crudelem, pro sapiente versutum, pro potente tyrannum reddunt! Parum est vna mors, ei qui principis calicem toxicō tentarit inficere: & præmium fert, qui mentem illius, pestilentissimis opinionibus corrum pit, ac venenat! & veluti publicum teipublicæ fontē

SILE NI ALCIBIADIS.

inficit, summo totius orbis malo! Principis mun⁹ dos
minium vocant, cū reuera nihil aliud sit agere prin-
cipem, quām rem cōmunem administrare. Regum
inter ipsos affinitates, ac subinde nouanda foedera,
Christianæ pacis glutinum appellant, Cum his fons
tibus omnia penē bella, plurimos rerum humanañ
tumultus nasci videamus. Auëtum ducunt imperiū,
cū vnius aut alterius oppiduli titulus accesserit prin-
cipi, tanta ciuium expilatione, tanto sanguine, tot vi-
duitatibus, tot orbitatibus emptus. Ad eundem mo-
dum ecclesiam vocant sacrificos, episcopos ac sum-
mos pontifices: cū hi reuera nihil aliud sint, quām ec-
clesiæ ministri. Cæterum ecclesia populus est Chri-
stianus, quem C H R I S T V S ipse maiorem vocat: vt
cui recumbenti, ministrent episcopi, obsequio mino-
res, sed alia ratione maiores, si modo C H R I S T V M,
vt successione muneris, ita mōrū ac vitæ referant imi-
tatione: qui cum modis omnibus, princeps ac domi-
nus esset omnium, ministri partes suscepit, nō domi-
ni. Omne fulmē torquetur in illos: hostes ecclesiæ vo-
cantur, ac prope modum hæretici, qui sacerdotū cru-
menam nummulis aliquot fraudarint. Evidem non
adsum fraudatori, ne quis hoc interpretetur. Verū
cedo, siquidem hostem ecclesiæ iuuat odisse, num esse
possit hostis ecclesiæ, perniciosior, aut capitalior, quām
impius pontifex? Vbi non nihil de sacerdotum præ-
dijs, aut censu diminutum fuerit, clamatur vndique,
opprimi Christianam ecclesiam. Vbi concitatur or-
bis ad bellum, vbi palam improba sacerdotum vita,
tot animarum militia pertrahuntur in exitium, nemo
deplorat ecclesiæ vicem, cū verè iam affligatur eccle-
sia. Ornatam & cohonestatam vocant ecclesiam, non
cum in populo gliscit pietas, cū virtus decrescunt, bo-

ni mores augescunt,cum sacra doctrina viget:verūm
cum auro gemmīsc̄ lucent altaria,imò cū his negle
ctis,prædijs,familitio,luxu,mulis,equis,sumptuosis
ædium,vel magis palatiorū substructionibus,ac reli
quo vitæ strepitu, satrapas æquant sacerdotes. Neq;
enim libet interim eorum meminisse,qui censum ec
clesiasticū in impios vsus, magno plebis offendiculo
profundunt. His si quid accreuerit, gratamur,& au
ctam C H R I S T I ecclesiam dicimus, cū verū & vni
cum ecclesiæ lucrum sit, Christianæ vitæ profectus.
Blasphemiā vocant, si quis parum reuerēter de Chri
stophorō loquatur, aut Georgio,nec omneis omnium
fabulas æquet Euangelio. Verūm Paulus blasphemia
appellat, quoties impijs Christianorū moribus fit, vt
C H R I S T I nomen infametur inter Ethnicos. Quid
enim consentaneū est Christianæ religionis hostes di
cere,cū in Euangelicis literis viderint C H R I S T U M
ad opum contēptum,ad voluptatū abdicationem,ad
gloriæ neglectum hortantem,& è regione conspexe
rint, primores etiam, ac duces Christianę professionis
ita viuere, vt opum accumulandarum studio, vt volu
ptatum amore, vt vitæ splendore, vt belli ferocitate,
caterisque verè vitijs omnibus, ipsos superent Ethni
cos. Intelligit prudens lector, quid hic taceā ob hono
rem Christiani nominis, & quid apud me suspirem.
Heresim appellat, si quis dixerit, aut scriperit aliquid,
quod aliquo pacto cū magistralib⁹ Theologorū pro
positiunculis, vel in re Grammatica dissentiat: Et hæ
resis nō est, vbi quis ceu præcipuā felicitatis humanae
portionē effert, id quod ipse C H R I S T U S vbiq;
doceat esse negligendū: qui vitæ rationē inducit, ab Euā
gelicis præceptis & apostolicis institutis longe diuers
am: qui cōtra sensu C H R I S T I apostolos ad euāge

SILENTI ALCIBIA DIS.

lij prædicationem profecturos, pro gladio spiritus, qui
terrenis affectibus omnibus amputatis, solus facit, ut
gladio non sit opus, ferro armat, quo se aduersus per-
secutionem defendant? Neque dubium, quin sub gla-
dij nomine, balistas, bombardas, machinas, ac reliquū
belli apparatus velit comprehendendi. Tum pera one-
rat, in qua gestent pecuniam, videlicet ne quid usquā
desit. Ac sub peræ nomine, quicquid ad huius vitæ
prouisionem pertinet, vult intelligi. Huc enim ma-
gnus ille Lyra, & multis anteponēdus Hieronymis,
Lucæ verba detorquet. Sacrilegium est in expiabile
si quis quidlibet è phano sustulerit: & leue crimē ha-
betur pauperculos & viduas, viuum dei templū, ex-
pilare, fraudare, opprimere? Prophanus est, qui pugna
aut seminis profluuio sacram ædem cōtaminarit: &
non execramur eum, qui puram & castam virginē,
templū spiritus sancti, blanditijs, muneribus, pollici-
tis, lenocinijs, violat, corrumpit, prophanat? Non pa-
trocinor malefactis, sicut antè testatus sum. Illud ostē-
do, vulgus hominum multo pluris ea facere, quæ cer-
nuntur oculis, quam quæ hoc verius sunt, quo minus
conspiciuntur. Saxe templi cōsecrationem vides: ani-
mi dedicationem quia non vides, negligis. Pro tuen-
dis illius ornamenti digladiaris, pro seruanda morū
integritate nemo capessit gladium illum Euangelicū,
quem C H R I S T V S iubet etiam tunicæ diuenditæ
precio parari. Summa pietas vocatur, si quis pro de-
fendenda, aut augenda ditione & pecunia sacerdotū,
sumat arma, ac bellicis tumultibus, sacra, prophanaq;̄
misceat: atque interea dum sacrificorum pecunia, ni-
mirum res vilissima vindicatur, quam ingens totius
pietatis diluuiū admittitur admisso bello. quid enim
est omnino malī, quod non secum trahat bellū? Sed

forsitan obstrepet interim mihi tacita lectoris cogitatio: quorsum hæc tam putida tendunt, inquiens? Num tu principem eiusmodi vis esse, cuiusmodi Plato facit in sua republica custodes? Num sacerdotes imperio, dignitate, gloria, diuitijs spoliatos, ad apostolorum peram & baculum reuocas? Bona verba. Non spolio, sed his potioribus locupleteto: nō deiicio de possessione, sed ad meliora prouoco. Quæso te, vter nostrum de regis excellentia magnificentius sentit: tu, qui vis illi licere quicquid libet, qui tyrānum vis esse, non principē, qui voluptatibus exples, qui luxū prodis, qui cupiditatibus omnibus seruum, ac dedititium facis: qui nihilo plus sapere vis quām quemuis ē media plebe, qui his oneras rebus, quas apud Ethnicos quoq; semper magnificentum fuit cōtemnere: An ego, qui principem, deo cuius imaginem quandam gerit, quām fieri potest, simillimum esse cupio: sapientia, quæ propria regum laus, cæteris antecellere: ab omnibus sordidis affectib; animiq; morbis, queis crassum & humile vulgus, ἄγεται καὶ φέρεται, procul abesse: Nihil mirari plebeium, opibus esse superiorē: deniq; id esse in republica, quod animus est in corpore, quod deus in vniuerso? Vter nostrum verius pependit episcopi dignitatem: tu, qui illum terrenis opibus oneras, sordidis, ac plebeijs implicas curis, bellorum procellis inuoluis: An ego, qui c h r i s t i viciarium, & cœlestis sponsæ custodē, ab omni terræ contagio purissimum esse cupio: & quoad licet, ei cuius loco munerēq; fungitur, quām simillimum! Stoici negant bonū virum esse posse, nisi qui vacet animi morbis. morbos autem animi, cupiditates siue affectus vocant. Multo igitur magis Christianorum est ab his esse liberos: sed omniū maxime principē. ac rursum

b.j.

SILENI ALCIBIADIS.

plus quam maxime, principem, ac patrem ecclesiae,
hoc est, coelestis illius populi coelestem principem. Vo-
lo regnare sacerdotem, sed mundanam istam ditio-
nem indignam iudico, ut hac vir coelestis oneretur.
Volo quam maxime triumphare pontificem: non his
sanguinarijs triumphis, quos sceleratus Marius, quos
impius egit Iulius: adeo vanis, ut Satyratum iocis in-
cessantur: quos si Democritus ille spectasset, risu cre-
diderim emoriturum: Sed vere magnificis & aposto-
licis, cuiusmodi Paulus bellator, ac dux, loge splendi-
dior Alexandro magno, describit: ac veluti sui canes
encomium iactat. In laboribus, inquit, plurimis, in carce-
ribus abundantius, in plagiis supra modum, in mor-
tibus frequenter. A Iudeis quinque quadragenas,
una minus, acceperit virgis cæsus sum, semel lapida-
tus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profun-
do maris fui, in itineribus saepe, periculis fluminum,
periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex
gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine,
periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore
& eruna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieunijs
multis, in frigore & nuditate: praeter illa, quæ extrinse-
cus sunt instantia, mea quotidiana solicitude omniū
ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor?
Quis scandalizatur, & ego non vror? Rursum paulo
superius, In omnibus, inquit, exhibeamus nosmet-
ipsos, sicut dei ministros: in multa patientia, in tribu-
lationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagiis, in
carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in
ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in
suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in
verbo veritatis, in virtute dei: per arma iustitiae à dex-
tris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per ins-

famiam & bonam famam, ut seductores & veraces, sicut ignoti & cogniti: quasi morientes, & ecce viui-
mus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, sem-
per autem gaudentes: sicut egentes, multos autem
locupletantes: tanquam nihil habetes, & omnia pos-
sidentes. Vides quae belli decora, quae victoria, qui
triumphus apostolicus? Hæc est illa gloria, per quam
ceu sacram rem Paulus aliquoties deierat. Hæc sunt
egregia facinora pro quibus sibi coronam immorta-
lem esse repositam cōfidit. Non grauabuntur aposto-
lorum ingredi vestigijs, qui locum & authoritatem
sibi vendicant apostolorum. Cupio quam maxime
diuites esse pontifices, sed Euangelico margarito, sed
coelestibus opibus: quas quo largius in omnes effude-
rint, hoc ipsi magis abundabunt, nec periculum erit,
ne benignitas pereat benignitate. Volo quam munis-
tissimos esse, sed armis apostolicis nempe, scuto fidei,
lorica iustitiae, gladio salutis, quod est verbum dei. Vo-
lo bellacissimos esse, sed aduersus veros illos ecclesiæ
hostes symoniam, superbiam, libidinem, ambitionem,
iracundiam, impietatem. hi Turcae sunt semper ob-
seruandi, semper oppugnandi Christianis. Ad huius-
modi bella, duxit & hortator episcopus. Volo cum
primis suspiciendos esse sacerdotes, at non tyranni-
co strepitū, sed excellentia doctrinæ sanctæ, sed exi-
mijs virtutibus. Volo reuerendos esse, sed ob integri-
tatem, ac seueritatem vitæ, non ob titulos, aut orna-
tum Tragicum. Volo timeri, sed ut patres, nō ut tyra-
nos. Denique volo delitijs affluere, sed, raris ac longe
quam quas vulgus nouit, suauiorib⁹. Vis audire vere,
summi pontificis diuitias: audi à pontificum princi-
pe proximum: Aurum & argentum non est mecum:
quod autem habeo, hoc tibi do, In nomine I E S V, sur-
b. ij.

SILENI ALCIBIADIS.

ge & ambula. Vis audire apostolici nominis decus,
quod omneis titulos, quod omneis superet formas,
ac statuas audi Paulum illum verè inclytum: C H R I S T I
bonus odor sumus deo in omni loco. Vis plus
quam regiam audire potentiam: omnia possum, in-
quit, in eo qui me confortat. Vis audire gloriam:
gaudium meum & corona mea vos estis in domino.

**Tituli episcopo di-
gni.** Vis audire titulos episcopo dignos, & ornamenta ve-
rè pontificia! Paulus idem tibi depingit, sobrium, or-
natum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem:
non vinolentum, non percussorem, sed modestum:
non litigiosum, non lucri cupidum, non neophytum:
qui bonum habeat testimonium & ab his qui foris
sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum
diaboli. Contemplare quibus ornamentis honestet
Aaron pontificem Moyses, quibus ornet opibus, qui-
bus picturet coloribus, quam varijs gemmarum stel-
lis illustret, quanto auri fulgore decôret. Quæ quid si-
bi velint, si ex Origenis, Hieronymi cognoueris in-
terpretatione: nimirum intelliges, quæ supellex pa-
randa sit verè magnis episcopis: quos potius expri-
mant vita pontifices, quam quos exprimunt plumbo,
quos titulis referunt, quorum vices occupant! An
magis conuenit, Julios, Alexandros, Croesos, & Xer-
xes, nihil aliud quam magnos latrones imitari C H R I S T I
vicarium, quam ipsum C H R I S T V M! Quos
iustius æmulentur Apostolorum successores, quam
apostolorum principem! C H R I S T V S palam ne-
gauit regnum suum huius esse mundi, & tu conue-
nire putas, vt C H R I S T I successor, mundanam di-
tionem nō solum admittat, verum etiam ambiat, proq[ue]
hac omnem, quod aiunt, moueat lapidem! In hoc
Mudi duo mundo, veluti duo sunt mudi, modis omnibus inter

se pugnantes. Alter, crassus & corporeus, alter cœlestis: Mundus stis: iam nūc pro virili meditans id esse, quod aliquan coporeus. do futurus est. In illo primus est, qui à veris bonis Mundus quām maxime semotus est, ac falsis oneratus. Veluti cœlestis. rex Ethnicus, libidine, luxu, violentia, superbia, fastu, diuitijs, rapacitate superat vniuersos: & ita primus videtur, si maxima huius sentinæ portio, in hunc in-fluxerit, sapientiæ, tēperantiæ, sobrietatis, iustitiæ, cæ-terorūmq; quæ verè sunt bona, quām mīnimū. Con-trà, in hoc qui summus est, is ut plebeijis illis & crassis bonis, mīnimū est inquinat⁹: ita veris illis ac cœlesti- bus opibus est cumulatissimus. Proinde cur Christia-nū principē id esse vis, quod Ethnici quoq; philosophi semper damnarunt & contēpsérunt? Cur illius maiestatem, in his collocas rebus, quas contempssisse pul-cherrimum est? Cur angelum dei (sic enim in arcānis literis appellatur episcopus) his rebus oneras, quæ vel homine bono sint indignæ? Cur eum his metiris opibus, quibus latrones sunt diuites, quibus Tyrani magni sunt? Cœleste quiddam est sacerdos, & ho-mine maius. Nihil huius sublimitate dignū, nisi cœ-leste. Quid huius dignitatē vulgaribus rebus deho-nestas? Quid huius puritatē mundanis fōrdibus con-taminas? Cur non finis eum sua ditione potentem esse? Cur non pateris sua nobilē esse gloria? sua maie-state reuerendum, suis diuitem opibus? Hunc è cœle-sti corpore, quod est ecclesia, cœlestis ille spiritus, ad res summas delegit. cur eum ad Satraparum furiosos tumultus pertrahis? Paulus segregatū sese gloriatur, cur tu meum præsulem in medium infimæ plebis sentinam immergis? cur ad foeneratorum solicitudi-nes deijsis? cur hominem diuinum ad negotia de-trahis, vix homine digna? cur hisce rebus felicitatem

SILENTI ALCIBIA DIS.

Christianorum sacerdotum metiris, quas vt stultissimas risit Democritus, vt miserrimas fleuit Heraclitus, vt friuolas spreuit Diogenes, vt onerosas abiecit Crates, vt pestiferas semper fugere sancti! Cur Petri successorem his opibus æstimas, quas ipse Petrus se non habere gloriatur? Cur apostolicos principes, eis ornamentis magnos videri vis, quibus calcandis magni fuerunt apostoli? Cur illud Petri patrimonium vocas, quod ipse Petrus se non habere gloriatus est? Cur C H R I S T I vicarios opibus irretiendos putas, quas ipse C H R I S T V S appellauit spinas? Cur eum cuius vt proprium, ita præcipuum officium est, diuini verbi semen iacere, diuitijs obrui, quibus vel maxime iam præfocatur? Cur æquitatis doctorem ac iudicem, iniquo vis seruire mamonæ? Quid coelestium sacramentorum dispensatorem, vilissimarum rerum facis procuratorem? Expectat ab hoc Christianus orbis, sa cræ doctrinæ pabulum: expectat salutare consilium: expectat paternâ consolationē, expectat viuendi formam. Quid tu rebus tam præclaris destinatum, ac dicatum, in vulgariū curarum ergastulum detrudis, pariter & sua dignitate spolians episcopū, & populū orbans episcopo? Habet suum C H R I S T V S regnū, excellētius quam vt gentili regno, vel vt verius dicā, tyrannide, pollui debeat: suum habet splendorē, suas habet opes, suas voluptates. Quid tā inter se pugnātia miscemus? quid terrena coelestibus, quid infima summis, quid ethnica Christianis, quid prophana sacris confundimus? Tam multa, tam magnifica sunt dona ditissimi, simul & benignissimi spiritus, Dona linguarū, dona prophetiæ, dona sanitatū, dona scientiæ, dona sapientiæ, dona doctrinæ, discretio spirituū, exhortatio, consolatio. cum his sacris donarijs, quid tu

prophana mundi dona coniungis? ne dicā extinguis?
Quid cum mammona C H R I S T V M, cum C H R I-
S T I spiritu Belial conaris iungere? quid mitræ cum
galea, quid sacræ Pallæ cū mauortia lorica, quid be-
nedictionibus cum bombardis, quid clementissimo
pastori cum armatis latronibus? quid sacerdotio cum
bello? Quid machinis oppida subruit, qui claves ha-
bet regni cœlorum? qui cōuenit, authorem esse belli
eum, qui pacis omine salutat populum? Quónam
ore docebit plebem Christianam, opes esse contem-
nendas, qui puppim & proram rerum suarum consti-
tuit in pecunia? Qua fronte docebit, quod & docuit
& exhibuit C H R I S T V S, quod toties inculcant apo-
stoli, non esse resistendum malo, sed malorum impro-
bitatem bonitate superandam, iniuriam beneficio
pensandam, inimicum benefactis obruendum, qui
propter oppiduli ditionem, aut salinarum vextigal,
orbem bellorum tempestatibus commouet? Quo pa-
eto dux erit ad regnum cœlorum (sic enim C H R I-
S T V S suam vocat ecclesiam) qui totus sit in regno
mundi? Sed impendio pius es, ornare vis ecclesiam,
harum etiam opum accessione. Probarem, nisi cum
paululo commodi, tantum secum ea traheret malo-
rum. Cum imperium dedisti, simul dedisti congeren-
dæ pecuniæ curam, dedisti tyrannicum satellitium,
ferratas copias, exploratores, equos, mulos, tubas, bel-
lum, strages, triumphos, tumultus, foedera, pugnas:
breuiter omnia sine quibus imperium administrari
non potest, vt animus adsit, quando futurū est ocium,
apostolico fungendi munere, quem tot curarum mis-
lia diuersum trahunt? dum scribitur delectus militū,
dum panguntur & rescinduntur foedera, dum co-
hercentur, qui detrectant imperium, dum in fide

retinentur, qui ad res nouas spectant, dum expugnāt
 tur hostes, dum muniuntur arces, dum audiuntur rationes, dum tractātur prophanæ legationes, dum ad honores prouehuntur amici, dum depelluntur qui locum dare iubentur felicioribus, dum alia fiunt, quæ nec meminisse libet, & tamen fieri necesse est? An tibi videtur intelligere pontificis & cardinalium excellentiam, qui eos ab oratione, qua cum deo confabulantur, à sacra cōtemplatione, qua versantur inter angelos, à vernantissimis diuinæ scripturæ pratis, in quibus felicissime spatiantur, ab apostolico euangelizandi munere, quo C H R I S T V M maxime referunt, ad has rerum fôrdes detrahendos esse censet? An eis bene velle videtur, qui à tanta felicitate, vitæcq; tranquillitate, qua fruebantur, ad has erumnas, ad hos rerum tumultus, pertrahi cupit? Etenim cū per se regnum infinitis laboribus obnoxium est, tum verò longe minus feliciter cedit sacerdotibus, quam laicis. Id que duab⁹ ferè de causis: partim, quod vulgus hominum libentius pareat in hoc genere prophanis quam ecclesiasticis: partim, quod illi ceu liberis suis relicturi ditionem, student eam quam florentissimā reddere. Hi contrà, quemadmodum serius ac plurimque iam senes ad imperium asciscuntur, ita quoniam sibi gerunt, non hæredi, magis expilant quam ornant, perinde quasi præda sit obiecta, non prouincia. Ad hæc vbi prophanus rerum potitur, ibi semel fortasse de regno digladiandum, semel euehendi, locupletandique, quibus fauet princeps. Vbi secus, ibi subinde noua digladiatio, deiiciendi de possessione, quos prior euexerat. Rursus alij, atque alij noui homines, populi malolocuplerādi. Iam est & illud non nihil, quod populus multo facilius fert imperium

elus, cui iam assueuit, etiam si durius imperet: qui si
decesserit, tamen in hærede filio superstes esse vide-
tur, ac plebes imaginatur principem, non in alium
esse mutatum, sed eundem sibi renouatum. Et solent
liberi parentes vtcungz referre moribus, præsertim
ab his instituti. Ediuerso, cum deo dicatis viris com-
missum est imperium, subita pleruncz rerum omniū
commutatio. Adde his quod prophanus ille accedit
ad rem gerendam, meditatus & ab incunabulis in-
stitutus. Illic sæpen numero præter omnem spem ob-
uenit rerum summa: vt quem remis genuerat natu-
ra, fortunæ ludus euehat ad regnum. Postremò vix
fieri potest, vt quemadmodū Hercules duobus moni-
stris, ita unus duabus difficillimis rebus administra-
dis par sit. Omnia difficultimum est, bonum præ-
stare principem. At longe pulchrius, sed idem longe
difficilius, bonum agere sacerdotem. Quid tandem
vtruncz? An non est necesse fieri dum vtruncz mu-
nus in se recipiunt, neutri satisfaciantz? His nimurum
rebus fit, nisi fallor, vt cum laicorum regum vrbes,
opibus, ædificijs, ac yiris, magis ac magis florere videa-
mus, Sacerdotum oppida frigeant ac collabantur. Opes sacer-
dotum igitur opus fuit, harum accessione rerum,
quas tot incommoditates comitantur? An vereris, ne
parum potes futurus sit C H R I S T V S proprijs opib-
us, nisi laicus tyrannus aliquid impertiat suæ potes-
tatis? Parum ornatum putas, nisi prophanus bella-
tor autu, Phrygionē, cædidos mannos, & satellitiū,
illi indulserit, hoc est aliquid de suo fastu asperferitz.
Parum splendidus videtur, nisi his liceat insignibus
vti, quæ propter inuidiam ambitiosissimus recusauit
Iulius? Humilem iudicas, nisi sit mundano onustus
imperio, quod si sibi gerit, tyrannus sit, si reipub. ne?

SILENTI ALCIBIADES.

gotiosissimus? Habeant prophana prophani. In episcopo, quod infimum est, totius imperij superat fastigium. Quo plus addideris de mundi bonis, hoc minus de suis impertiet c h r i s t u s. Quo ab illis erit purgator, hoc effusius hisce locupletabitur. Vides, opinor, ut tota res in diuersum exeat, si Silenus inuerteris? Qui principi Christiano maxime fauere videbatur, hos proditores & hostes principis maximos deprehendis: quos pontificum dignitatem tueri dixisses, ab his conspurcari comperis. Neque vero haec dixerim, quod sacerdotibus eripiendum putem, si quid quocunq; modo contigit, vel ditionis, vel opum: verum illos suae magnitudinis conscientios, ac memores esse volo, ut ista plebeia, ne dicam ethnica, vel reiiciat vltro, & infimis cedant, vel certe contemptim possideant, & iuxta Paulum sic habeant, quasi non habeant. Deinde sic eos c h r i s t i opibus ornatos esse volo, ut quicquid accesserit, ex huius mundi splendore, aut meliorum obscureretur luce, aut sordidum etiam ex collatione videatur. Ita fiet ut & quod possident, hoc feliciter possideant, quo securius. nec enim augentur metu, ne quis eripiat, nec pro rebus caducis & humilibus tanto tumultu dimicabunt, si quid alicunde deceperit. Postremo, non orbabuntur suis bonis, dum alienis gaudet ditescere. Nec euangelicum amittet margaratum, dum vitreas mundi gemimas consequantur. ut illud interim omittam, haec ipsa quae conteni volumus, ita copiosius accessura, si fuerint contempta, & honestius sequetur fugientes, q; ab insequebentib; arripiuntur. Si quidem vnde tandem sunt opes ecclesiæ, nisi ab opere contemptu? vnde gloria, nisi à gloriæ neglectu? Libentius ista donabunt laici, si viderint recessi ab his, quos plus sapere credunt. Fortasse non unquam tolerandi sunt,

& mali principes: deferendum aliquid eorum memo-
tiæ, quorum occupare videntur locum, dandum nō-
nihil titulo. Nō erit tentandum remediū, quod haud
scio, an infelicitè tētatum, vergat in grauiorem per-
niciem. Verùm quām malè interim cum rebus hu-
manis agitur, si quorum omnis vita debebat esse mi-
raculo: tales sunt, ut applaudant pessimi, boni suspi-
rent, & ingemiscant: & quorum omnis dignitas, vel
ab improborum fauore, vel à mediocrium modestia,
vel à simplicium imperitia, vel à bonorum tolerantia
pendet, imò quos incolumes reddit populi discordia:
quos nō alia res magnos facit, quām dissidia ciuium:
quorum felicitas, publica infelicitate alitur. Sed quo
me sermonis cursus abripuit: ut patremiographum
professus, ecclesiastes esse cœperim? Nimirū in hanc
tam sobriam disputationē, ebrius Alcibiades suis Si-
lenis nos induxit. Verùm huius erroris non admodū
me poenituerit, si quod ad prouerbiorum enarrationē
nō pertinet, ad vitæ pertineat emendationē: & quod
ad eruditōnem non confert, conducat ad pietatem,
quódque ad operis instituti rationem πάρεγον καὶ
ἀπροσλίόνυσον videtur, ad viuendi rationem fuerit
accommodum.

IN P R A E C E D E N T E M D E S I L E N I S A L
C I B I A D I S E R A S M I R O T . D E C L A M A
T I O N E M S C H O L I A .

N S P E C I E M .) Hoc est ipsa apparē
tia seu specie tenuis . modus loquendi
I Liuio familiaris , & optimis quibusq;
authoribus . Sic Cornelius Tacitus
in x v i i , iustissimum donum , & in
speciem magnificū . Alijs item aliquot locis reperias
apud eundē , quæ hic recēdere nō fuerit operæ preciū .

A ridiculo illo Sileno .) De hoc Sileno plura Dio-
dorus Siculus in quinto narrat . tradens hunc Bacchi
studiorum formatorem fuisse .

γελωτοποιούς .) Hoc est excitatores risus . Tales
quidam habebantur olim in urbibus Gracie , publi-
citus in foris , in triuijs , in cōciliabulis , populum lepi-
de dictis ac factis exhilarantes , maxime si quando
seuiente pestilentia mentes omnium occupasset moe-
xor . Nam hac via reualuisse ciuitatē à peste legimus .
At hodie non modo principes laici , sed & sacerdotes ,
suos habent γελωτοποιούς , in quos sunt multò ma-
gis , quam in literarum studiosos , benefici . Quin pri-
uati quidam , sed tamen sacrifici , inutilem eum cen-
sent , qui nō sit γελωτοποιός . Usque adeò vitæ suauis-
tas etiam eos capit qui sanctissimos se putant .

Eum Silenis huiusmodi similem facit .) Utitur au-
tem Alcibiades his verbis apud Platone in symposio ,
φημὶ γὰρ δὴ ὁ μοιότατορ ἀυτῷ μὲν οὐ τοῖς σιληνοῖς
τούτοις , τοῖς ἐμὸν τοῖς ἔρμογλυφέσις καθεμένοις , δύσ-
τιναις ἐργάζονται διὰ μημουργοὶ σύριγγας ἀδυλοῦς
ἔχονταις . οἱ δηκάδε μίσιχθέντες φαίνονται ἐνδοθεῷ
ἀγάλματα ἔχοντες θεῶν . id est ,

Socratem igitur dico simillimum Silenis istis, in officiis scalptorum sedentibus, quos sic scalpunt opifices, ut fistulas vel tibias gestent: quod si quis hos appetiat, deorum imagines intus claudere videntur.

Quem si de s.) Fuit Socrates Sophronisci lapidarij filius. Duris (vt refert Laertius) seruiisse illum ait, & scalpsisse lapides. Afferunt quidā Gratias vestitas quae sunt in arce, illius opus esse. Vnde & Timon illum in Sillis, Scalptore lapidum dixerit. Ex Laertio.

Bardum ac stupidū.) Sunt hæc Ciceronis, nifalor, alicubi de Socrate verba.

Nā hinc sum.il.s. ἡσαγωγάς.) id est inductiones, nimitū crassa & vulgaria exēpla, quibus auditorū animos in philosophiæ mysteriorū cognitionē paulatim adducebat. Erat enim illi ingeniu ad eliciendos ex rebus sermones accōmodatum, vt author est Laertius.

Vxor qualē ne.) Duas illum vxores duxisse, priorē Xāthippen, ex qua Lamproden genuerit, secundam Myrtonem Aristidis illius Iusti filiam, quam & sine dote acceperit, quæque sibi Sophroniscum Menexenūmç peperit, Aristoteles author est. Alij Myrtonē prius duxisse, Plerique vtrasq; simul habuisse tradūt, ē quibus & Satyrus est, & Hierony. Rhodius. Quippe Athenienseis cum bellis ac lue, ciuibus exhaustā ciuitatē reparare, sobolēmç propagare vellent, decreuisse referunt, vti vrbanā quidem vnā vxorem ciues ducerēt, liceret autem & ex altera procreare liberos. Id'que tum & Socratem fecisse. Magna verò mentis altitudine carpenteis se atq; obiurganteis contemnebat. Xanthippe cum in eum prius conuitia & maledicta iaculata esset, post modū verò & fordidis aquis perfudisset, Nōnne, inquit, dicebam, Xanthippen tonantem quandoq; pluiturā? Author Laertius. Hodie

IN SILENOS ALCIBIADIS

vel tribus viris vna mulier satis queat esse molesta, quam fortis igitur ac tolerans Socrates, qui duas simul tulerit! Præterea cū viro nonnunquam vxori conuenit vt cunque, at inter uxores plane est quod Graeci dicunt ἀστονθος πόλεμος, & implacabile odium. Id quod apud Turcas hodie ferunt accidere qui sunt πολύγαμοι. Vide ergo quanta rursus animi magnitudine fuerit Socrates, qui duas mutuum conuictantes ac corrixanteis assidue mulieres, in iisdem secum ædibus habuerit.

Ἄγορα πασῶν.) id est, Bis per omnia. Proverbiū à musicis mutuo sumptū, quo maximū discrimē & largissimū interuallū significatur. Vide Eraf. Chiladias.

Abesse cum etiam Alci.) Nam huius eximiā formam, vt Laertius prodit, aspernatus est. Et cū Carmides domesticos illi pueros dedisset, vt ab eis domū de duceretur, suscipere noluit. Quin perinde ad formosos se habere dicebat, vt est in albo lapide, linea alba. Qui igitur zelotypus?

Nec vnum esset Gorgias.) Hic Gorgias Leontinus fuit, qui primus ē numero sophistarū, ausus est in conuentu poscere quæstionē, id est iubere dicere, qua de re quis vellet audire. audax negotiū, dicerē impudēs, nisi hoc institutum postea trāslatum ad philosophos nostros esset. Ex Cicerone de finibus secundo.

Ardelionibus.) Ardelio significat immodestū & arroganter nihil non sibi vendicantē, ac inquietum.

Quod nihil sciret.) Sicq; Gorgiam & cæteros sophistas, vt ē Platone intelligi potest, lusit. De Socrate sic scribit Academicarum quæstionū quarto Tullius, Socrates autem de seipso detrahens in disputatione plus tribuebat hijs, quos volebat refellere, ita cū aliud agnosceret, atque sentiret, libenter vt solitus est ea dis-

Simulatione, quam Græci ἀγωνίαν vocant.

Cum risu sit exceptus.) Inter loquendū enim agēte id orationis vehementia, iactare digitos solebat, & crines vellere, ita ut plerisque rideretur, habereturque despectui. Laertius author.

Cicutam.) Veneno cicutæ, noxijs apud Atheniensis tollebantur.

Phædonē.) Hic erat Eliensis, discipulus Socratis.

Æsculapio gallum.) Putabatur enim hic deus salutem hominibus conferre.

Antisthenes.) Hic cotidie x l stadijs emensis audiebat Socratē, à quo & tolerantia addiscēs, tranquillitatēisque illius imitator effectus, Cynicam prior sectam inchoauit, princēpsque in ea fuit. Author Laertius.

Baculo s. pera.) Nā hēc erat οὐκονικὴ πάνοπλία.

Diogenes vulgo canis habitus.) Cum assisteret Alexander Diogeni, ac diceret, Ego sum Alexander Magn⁹, rex. At ego sum, ait Diogenes, canis. Rogat⁹ quidnā faciens canis vocaretur, Quòd eis, inquit, blādior qui dant, in eos verò qui non dant, oblatro, malos autem mordeo. Laertius author.

κορυφαῖος.) Id est princeps. Siquidē κορυφή versicem significat apud Græcos, & montis cacumen. Hinc κορυφαῖος, id est summus.

Et alpha.) Inter Græcanica elemēta primūm obtinet locū alpha, ac prima numeri nota est. Proinde quem præcipuum significare volumus, ac in re quam aut arte principē, illū alpha vocam⁹. vnde recte quis dicat Scotū alpha Sophisticorum Theologorū.

Epictetus.) Hic ex Hieropoli Phrygiæ vrbe fuit oriundus.

Seruus) Nam Romę Epaphrodito cuidam Nero, nis familiari seruiuit.

IN SILENOS ALCIBIADIS

Vt indi. il.epitaph.) Epictetus cū & seruus esset,
& claudus, & Homericō Iro pauperior, haud tamen
dubitauit dijs sese amicū notissimo apud Græcos di-
stico asseuerare, id est tale, Gellio authore.
λοῦλος ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι τῷρος
καὶ τενίκριος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Sic sonat latinē

Seruus Epictetus fueram, qui corpore mancus,

Pauperie pressus, carus eram superis.

Hæc nimurum est natura.) A natura rerum argu-
mentatur efficacissime.

Mysticus ille vates.) Esaiam putat. nā apud hunc
quinquagesimo tertio capite, id de C H R I S T O legi-
tur oraculum.

Quod olim Rom.princ.frus.aff.) Neq; enim quis
quā ex Cæsarū catalogo totius orbis imperiū tenuit.

Et inane sophos det.) Sic dixit inane sophos neu-
tro genere, quemadmodum Martialis grande sophos
illo versu,

Quod tā grande sophos, clamet tibi turba togata.

Et alibi,

Audieris cum grande sophos. hoc est inanem sapien-
tiam, & inanē de illorū sapientia vulgariū opinionē.

Ille qui dixit, quib.di.n.erat m.) Paulū intelligit.
nam is ad Hebræos huiusmodi verbis vtitur, si modo
ea epistola Pauli est. nam dubitant docti.

Mirò illo elogio.) Id est testificatione.

Inter natos mulierū.) Verba C H R I S T I de Io-
hanne baptista, Matthæi vndecimo.

Quis non Crœsus.) Crœsus Lydorū rex fuit opu-
lētissimus. Hæc pro ditissimo ponitur. Sic mox Aristoteles
pro quo quis in humanis disciplinis quālibet insi-
gniter docto.

Grani sinapis.) est id apud Lucam capite x i i i.
 ἐκ διαμέτρου.) Hoc est, ex diametro. Prouerbiū
 est de rebus admodum inter se distantibus. Nā apud
 Geometras, oppositio perpendicularis absolutissima
 est. Lege Erasmi Chiliadas.

Martinus.) Huius vitam elegatissime descripsit
 Seuerus Sulpitius.

Humilitate sublimes.) Quām eleganter hæc iun-
 git contraria! Certè non posset melius ipse Cicero.

In arboribus flores.) Confirmatio septuplex præ-
 cedentis argumenti à rerum natura desumpti.

Adam è limo.) Hæc omnia habētur primis Ge-
 neseos capitibus.

Lot incœstum.) Describitur is Geneseos x i x.

David adulterium.) De hoc i i. Regum x i.

Et in senis frig.) Inuenies hanc historiam tertio
 regnorum primo capite.

Osee fornicariū matr.) De hoc, Osee primo.

Ιλίαδες καικῶμ.) Hoc est, Iliadem malorum. Ada-
 gium est, dici solitum de maximis calamitatibus. Nā
 quod mali genus in Iliade Homerica non commemo-
 ratur? Vide Erasmi Chiliadas.

Pedū.) baculū pastoralē. Verg. At tu sume pedū.

Ἐν ποδὶς ἐξεφαλῆμ.) Hoc est, à pede ad caput.

Verba sunt, nisi memoria fallit, in Aristophanica Plu-
 to mulieris ad Caryonem seruum.

ωνοπλίαμ.) Hoc est, totam ac vniuersam ar-
 maturam.

Comœdiā fuisse iudic.) Nam in hac vilissimus
 s̄epe nebulo diuitis ac probi viri sustinet personam.

Serapiones ac Paulos esse ducat.) Fuerunt hi viri
 sanctissimi diuo Hieronymo celebrati.

Balatrones.) Notat int̄ēperatiæ quendā Balatros.

IN SILENOS ALCIBIADIS

nem Horat. Ab hoc igitur balatrones dicūtur qui vos luptatib⁹ beluinis libidine videlicet & gula capiūtur.

Ἐνθακεστὸν θεσαυρόν.) Hoc est, carboros thesaurum. Prouerbiū est de his qui spe sua frustrantur, spe rantes magnum quid se reperturos, tum verò nugas offendunt. Lege Erasmum in Chiliadibus.

Circes beneficijs.) Fabula Circes, vel pueris è triuiali ludo notissima est. idcirco non hic referenda.

Sic enī vocat Aristot.) Latenter significat Ethnicū Aristotelē hoc ethnicis scripsisse, sed parū philosophice, tantū abest, ut Christianè. Præstitisset nō appellare bona, ne vulgus boni vocabulo præceps ad hæc per phas & nephas acquirenda adduceretur. Quām sumus non germanè Christiani, qui C H R I S T I decreto philosophi parum sancti dogma anteponimus.

Imaginibus caret.) Imagines vocantur insignia genitilitia, quæ nobiles, & natalibus restituti, in atrijs suis olim depingebant, qui mos etiamnum obseruatur.

Si iuxta Paulum.) De hoc ad Romanos septimo capite leges, & alijs capitibus. Sed & in reliquis epist.

Horū ἔσπερ τῷ μεγάρεω πούλεις λόγος.) Id est horū perinde ut Megarensiū nullus respectus. prouerbium est olim dici solitum in vehementer despectos, Cuius originem in Chiliadibus Erasmicis leges.

Peculator.) Peculari & depeculari, furtim subtrahere significat quippiam reipublicæ aut principi.

Capital.) Capitale & capital, est quod capitis pœnam meretur.

Quem C H R I S T V S ip. maior voc.) Nā quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? verba C H R I S T I, Lucae x x i i.

Paulus blasphemiam vocat.) Ad Romanos secūdo. Nomen enim dei per vos blasphematur inter gētes.

Pro gladio spirit.) De hoc Lucæ xxii. Vide Erasmi Annotationes, quas in nouum instrumentū scripsit. nam eo loco Nicolaū Lyranū insigniter delyram tem taxat. Quod & hic facit, sed illic multo copiosius.

Quors. hæc tā put. tēd.) Hemistichiū Horatianū.

Cuiusmodi Plato fa. in s. Rep. custodes.) Plato cū custodū sit prospicere, philosophos hos esse vult. præterea veridicos, liberaleis, tēperatos, forteis, iustos, magnanimos, mansuetos. In primis ex optimis prognatos parentibus, & diligentissime educatos. Lege sex tum Platonis de republica.

ἄχται καὶ φέρεται.) Hoc est, dicitur & fertur. Apud Græcos, præsertim historicos, crebra loquendi formula, cum quis alieno arbitrio tractatur, nimirum violentē, id quod in bello solet accidere.

In laboribus plurimis.) Hæc leguntur secūda ad Corinthios vndecimo capite.

Scuto fidei.) Primæ ad Thessalonicēsis v capite.

Audi à pontif. princ. proximū.) Hoc est à C H R I S T O Petrum.

Argentum & aurum.) Actorum, seu melius ge storum Apostolicorum tertio capite.

C H R I S T I bonus odor s.) Scriptum est secunda ad Corinthios secundo capite.

Omnia possum.) Ad Philippenses quarto.

Gaudium m. & coro. v.) Ibidem.

Paulus idem tibi depinxit.) Habes id prima ad Timotheum tertio capite.

Angelum dei.) Legitur id Malachiæ secundo.

Paulus segreg.) Ad Romanos in principio.

Vt onerosas abiecit Crates.) Notum est quem admodum Crates ingens auri pondus in mare proiecserit, vt liberius philosophari posset.

IN SILEN. ALCIB. SCHOL.

Pupim & proram.) Hoc est, summā consiliū. pro-
uerbiū est. De hoc plura apud Eras. in Chiliadibus.

Quē remis nat. g.) Iuliū pont. significat. Nam hunc
aiunt nautæ fuisse filium, atque adeò in naue geni-
tum. De qua re extant aliquot argutissima epigram-
mata. Nec desunt qui transmittendis hominibus sti-
pem collegisse perhibeant, sed adolescentem.

Phrygionē.) Vocatur phrygio qui nouit acu pin-
gere. nā huius artis inuētores aiūt Phrygas extitisse.

Candidos mannos.) Manni equi sunt non admo-
dum magni, qui tollutim, id est, Asturconū more gres-
sus glomerant. Sic dicti quasi ad manum mansuefa-
eti. Horat. impositis mannis aruum cælumque Sabi-
num Non cessat laudare.

Iuxta Paulū.) Est id prima ad Corin. v 11 capite.

Paroemiographū.) Id est, scriptorē prouerbiorū.

Ecclesiastes.) hoc est cōcionator. nā ἐκκλησιασκέ cōcionator.

Ebrius Alcibiades.) Nam in symposio, hoc est, cō-
uiuio loqui introducitur, apud Platonem.

πάρεργον) πάρεργον vocat Græci, quod est ex-
tra propositum, quasi præter opus.

ἀπροσλίόνυσον.) Id est, nihil ad Bacchū perti-
nens vocabulum est à Plutarcho nouè compositum,
sed oppidò quam eleganter. Est autem prouerbium,
Nihil ad Bacchum, in eos competēs qui nihil ad rem
dicunt. Vide Erasmū in Adagio, Nihil ad Bacchum.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS
PARISIIS, ANNO M. D. XXVII, XII
CALEND. FEBR.